6
1-d
8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 D
6

Digitized by Google

Digitized by Google

6.1.D.6

GRAMMATICA.

SYRA,

Duobus libris methodice explicata,

à

CASPARO VVASERO,

TIGVRINO.

Editio poſterior, priori ita emendatior & locupletior, ut nova videri poſſit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
VITTORIO EMANUELE

LEIDAE,
Typis RAPHELENGIANIS.
ANNO DOM. 1619.

79
Digitized by Google

Digitized by Google

CASPAR VVASERVS

Filiis ſuis dilectis,

IOHANNI, IOSIÆ, IOH. HEINRICO, RODOLPHO, & CASPARO WASERIS, εὐζωΐαν καὶ εὐδαιμονίαν.

optat toto pectore.

ETSI multæ mihi cauſſæ fuerunt, cur poſtremam manum adjecerim Grammaticæ meæ Syræ; quam, annos ante viginti, in nobili Batavorum Academia Lugdunenſi, conſcripſi, ſuaſore & hortatore Fr. Raphelengio, viro clariſſimo: hæc tamen una longè maximum apud me pondus habuit meritò, quòd linguam, cujus præcepta hîc trado, meminiſſem, ipſo Servatoris noſtri ore ſanctificatam eſſe, cui, dum in terris verſaretur, vernacula fuit atque domeſtica. Accedebat cohortatio amicorum perplurium: qui, ut id laboris mihi ſumerem, crebris litteris à me petierunt: inter quos non poſtremo loco cenſeo præſtantiſſimum virum, Thomam Erpenium, Profeſſorem Linguarum Orientalium in eadem Lugdunenſi ſchola; qui, Grammaticâ ſuâ Arabicâ, feliciſſimo conatu, accuratiſſimè conſcriptâ, recenter ad me miſsâ, non obſcurè innuit, è re literariâ fore, ſi ſubciſivis

BIBLIOTEC ROM VITTORIO EMAN

Digitized by Google

ciſivis horis Syram meam interpolarem, unaque conjungerem: Quorum equidem petitionem defugere nolens, iſtud, quod in publicum nunc prodit, breve quidem, ſed tamen perſpicuum, ſpero, & methodicum *συςημα*, quantâ par erat diligentiâ ac fide concinnavi.

VOBIS autem filij chariſſimi, hanc operam deſtinavi, & inſcripſi, ut, occaſione ejus, cum ad alias præclaras artes atque ſcientias, tum ad celebre linguarum ſtudium vos exhortarer. De artibus atque ſcientiis, quæ quanto pretio, quantæ curę atque cordi vobis eſſe debeant, alio loco & tempore intellexiſſe vos ſcio, dicam jam dihil. At ſtudium linguarum uti ſeriò & alacriter amplectamini & perſequamini, quæ vos poſſint movere, perplura ſunt.

LATINA equidem & GRAECA linguæ quam ſint magnæ laudis, & ineffabilis boni, utque hæc illam longé antecellat, quod Deus eâ ſcribi voluerit ſalutis noſtræ doctrinam, & ſcientiæ omnes primitus ſint traditæ, aque præſtantiſſimis ingeniis propè conſummatæ: jam ex pręceptoribus veſtris doctiſſimis; qui in Heydelbergenſi, Genevenſi, Oxonienſi, Groninginâ, Patavina, & patriâ Scholâ, pleroſque veſtrum erudiunt, adque humanitatem informant, didiciſtis, ſpero & opto.

His, *σὺν τῷ ἀπεφαρρήτῳ θεῷ* & præceptorum ac veſtrâ induſtriâ cognitis, uti paulatim ad HEBRAEAE ſtudium animos appellatis, judicem ego non inconſultum: & ſtimulo acerrimo vobis eſſe poſſit, quod eâ linguâ nihil eſt antiquius; quippe cum ipſis Mundi exordiis natâ & formatâ: quod nihil eſt eâ dignius; quippe a Deo, Angelis, & Prophetis uſurpatâ; in qua coele-

cœleſtia oracula, & æternæ ſalutis conſequendæ modum, nec non nomen illud Dei admirabile, quod priora ſecula ſacro ſilentio ſemper ſunt venerata, nobis monſtrarunt ac declararunt: quòd denique nihil eâ eſt cultius, purius, elegantius; qua vel una ratione reliquas linguas ſuperat omnes. Etenim nullum artificium, nullam figuram aut colorem huic deeſſe, conſtat inter omnes, qui ejus rudimentis vel leviter ſunt imbuti. In veteri certè Teſtamento, libro non magno, tantam ſtyli Majeſtatem & puritatem liceat deprehendere, ut facile appareat, Spiritum ſanctum breviſſimo libro ampliſſimum artificium declarare voluiſſe. Moſaïcos libros, ſicut & hiſtoricos reliquos, fluenti admodum & facili oratione compoſitos, quis quæſo ignorat? Iob, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum poëticam habent loquendi rationem inſignem. Iſaïas; quem ex regia ortum familia noviſtis, tanta eloquentia librum ſuū contexuit, ut omnes Latinos Græcòſve oratores longo poſt ſe intervallo relinquat. Homerus; cujus tanta fuit claritudo, ut mortuum multæ Greciæ urbes certatim ſibi vindicarent: Plato; qui, quòd in omni diſciplinarum genere ſuper omnes Philoſophos excelluerit, θεῖος *divinus*, fuit appellatus: Eurypides; cujus ſingulos verſus ſingula teſtimonia putavit Tullius, quemque gravitate ſententiarum etiam maximis Philoſophis parem prædicavit Quintilianus: Demoſthenes, Æſchines, Iſocrates, alii viri ſummi, etiam inter Latinos, lectores ſuos afficiunt, delectant, movent: Verum enim verò ſi ad Iſaïam ſeſe contulerint, vis illa humana ſtatim evaneſcet. Tot enim continet tranſlationes, tot figuras, tot lumina orationum, ut ſcriptores illi omnes,

Digitized by Google

cum eo collati, frigere prorſus videantur. Atque id quidem tam pręclarum pręconem decebat, ut ſcilicet aureo eloquentię flumine, ſermone cultiſſimo, puriſſimo, elegantiſſimoque Dei erga mortales benevolentiam & amorem prędicaret, auctoremque ſalutis annunciaret: quandoquidem, ut ſcite air Athanaſius, τὸ πλεῖστον τῆς προφητείας αὐτοῦ ἐστὶν εὐαγγέλια περὶ τῆς ἐν σαρκὶ παρουσίας τοῦ λόγου καὶ ὧν ἀνεδέξατο δι' ἡμᾶς παθῶν, *potiſſima Prophetiæ ipſius pars continet Euangelia de manifeſtato in carne Sermone, & paſſionibus: quas pro nobis ſuſtulit, &c.* Nec ſanè in reliquis Prophetis minorem cultum, quamvis ad hoc grande dicendi genus Iſaïæ non accedant, obſervare manifeſto licet. Magna hęc ſunt, permagna, nec contemnenda; ac proinde nihil prius, nihil antiquius vobis debet eſſe hac tam eximia lingua, præſertim ad ſacroſancta religionis Chriſtianæ myſteria, aliquando, ſi Deo videatur, admittendis.

Accedit, quod, ſi Hebręam linguam addidiceritis; & quidem præceptis potius, quam uſu, quę in Theſauro aureo Buxdorffiano perſpicua & continenti ſerie tradita, ipſoque uſu egregie confirmata reperiatis, inde ad CHALDAEAM vobis pateat aditus; quæ Hebręæ quam proximè eſt affinis; ac proinde ita haud comparata, ut a ſtudio ejus abhorrere quemquam, niſi amentem & vecordem oporteat. Etenim pręter pauca verba; quę Hebręi vel planè non uſurpant, vel non frequentant, præcipua differentia in terminatione, mutatione litterarum, punctorum & articulorum variatione, hoc eſt, in analogia, non eſſentia utriuſq; lingue conſiſtit. At vero, obſecro, Chaldęa hęc qualis lingua eſt? quanta eſt? Conſtat, & nemo poteſt negare antiquitatis peritus, monumenta Chaldęorum, Zoroaſtris cum primis

mis

Digitized by Google

nis quem Chami ex Mizraïmo nepotem fuiſſe credidit Antiquitas, quique ob ſummam aſtrorum peritiam quaſi ζῶον ἄϛρον fuit appellatus; quę Metaphyſicam, Mathematicam, Phyſicam, Politicam, Logicam denique continebant, Chaldęo idiomate fuiſſe exarata: ex quibus, quicquid habuit Plato, quicquid Ariſtoteles, quicquid Gręci omnes habuerunt de rebus divinis & humanis, cœleſtibus & terrenis, id omne mutuati ſunt: quanquam in fabulas & prodigioſa quędam commenta ſubdolo ingenio commutatum, ne ab aliis vicinis populis ingratitudinis, turpiſſimoque furti crimine convicti quaſi graculi cęterarum avium plumis exuti, exſibilarentur & exploderentur. Conſtat pręterea, & nemo vel parum in Ioſephi hiſtoria verſatus ignorat, Abrahamum, principem Patriarcharum, natione Chaldęum, omni diſciplinarum genere, pręſertim vero Mathematicarum, non tantum excelluiſſe, ſed eas quoque Ægyptios in lingua Chaldęa docuiſſe. Quid plura? Veteris Teſtamenti libros cum fructu & compendio volvere connitentibus occurrent vobis in Iobo, Proverbiis, Ieremia, & alibi, vocabula non pauca Chaldęa: occurrent Daniel, Eſdras magnam partem Chaldęè conſcripti, & duo illi eminentes interpretes Chaldæi, Ionathan Vzielis F. pręcipui inter Hebręos doctoris Hillelis diſcipulus, & Onkelos, Titi Veſpaſiani F. ex ſorore nepos; quorum ille Prophetas, hic vero Pentateuchum in Chaldęum ſermonem transfudit, tanta felicitate ac dexteritate, ut paraphraſes eorum divinis legibus æquiparare non dubitent ipſi Iudęi, quorum proinde verba, ad diſputationem ſi ventum ſit, tuto citati, adque retundendas blaſphemę ſectę calumnias in DOMINVM noſtrum efficaci-

ficaciter adhiberi poſſint. Hęc vero omnia quomodo abſque Hebręarum & Chaldęarum litterarum cognitione probè & exactè, pro ut opus eſt, intelligatis, equidem nullus capio.

Hebręæ ac Chaldęæ linguæ prçeceptis rite imbutis, nemo ſanæ mentis, opinor, vobis vitio vertet, ſi ad SYRAM quoque, quæ hodie *Antiochena*, ſeu *Comagena*, & *Maronitica* dicitur, a locis, ubi ea creberrimi inter incolas eſt uſus, pio auſu aſpiretis. Eſt enim hęc ex Hebręa ac Chaldęa conflata: cœpitque circa Cyri, Perſarum Monarchæ tempora, aut non ita multo poſt, regnante videlicet Dario Hiſtaſpis F. Tunc enim Iudęis; qui annos LXX. & amplius in Babylone exulaverant, libera Ieroſolymam redeundi facta copia, qui ex tribu potiſſimum Iudę & Benjamin, duce Zorobabele, ad patrias ſedes ſunt reverſi, ſenſim labentibus annis, Chaldęoque ſermone nonnihil immutato, huic linguæ dederunt originem. Quo tempore non tantum Talmud Hieroſolymitanum a R. Iuchannan fuit conſarcinatum; in quod, præter Chaldæas, Babylonias & Aſſyrias voces, in Syriſmum utcunque detortas, plurima quoque tum a Perſis & Arabibus, tum a Græcis & Latinis petita vocabula irrepſerunt: ſed etiam Targum Hieroſolymitanum in veteris Teſtamenti Hagiografa contextum perhibetur, a paraphraſibus Ionathanis, & Onkeli, ſermone ac ſenſu nonnihil varium ac diſcrepans. In ipſa igitur hac lingua ſi induſtria veſtra aliquando deſudet, nemo, inquam, φρενήρης & mentis compos, jure reprehendere vos poſſit: præſertim qui ad animum ſuum revocat, illam ab Alexandri M. monarchia, uſque ad ſervatoris ætatem, ſub quam genti Iudæorum vernacula fuit, evincentibus id vocibus,

Digitized by Google

in novo Teſtamento Græco relictis quamplurimis, æque latam periodum, atque vel Hebræam vel Chaldæam conſecutam eſſe: in illa etiam, poſt Servatoris ætatem, primo ſtatim naſcentis Chriſtianiſmi ſeculo, vel ab Apoſtolis ipſis, vel a diſcipulis eorum, paraphraſin Syram; quæ in idem novum Teſtamentum extat, conſcriptam. Cujus preſtantiſſimæ paraphraſeos antiquitatem cum incorrupta ſermonis elegantia, tum defectus epiſtolę Petri II. Iohannis II. & III: Sancti Iudæ, Apocalypſeos, & accuſationis adulteræ apud Iohan. quæ ipſa apud Chryſoſtomum quoque, Theophylactum & Nonnum deſideratur, ſatis ſuperque confirmant: ut de dignitate & auctoritate illius nihil dicam. Quæ tanta quum ſemper fuerit, & etiam-num ſit, ut Græcæ propemodum verſioni a non paucis æquiparetur (unde vel ex ipſa potius, quam è Græca, verſa eſt ut plurimum Arabica interpretatio non improbæ notæ:) aut ſaltem ſic ſe habeat, ut obſcuriora loca multa mirifice inde illuſtrari poſſint: ille laudatiſſimus Romanorum Imperator FERDINANDVS eam, ſeculo ſuperiore, ſplendido opere, magnis ſumptibus, & characteribus novis Syris; quibus Chriſtiani, Aſiam hodie incolentes, in ſcribendis chirographice libris ſuis utuntur, Viennæ, in anno DOMINI LXII apud Mich. Zimbermannum, in quarta forma, ex manuſcriptis duobus codicibus, excudendam curavit: elegantiſſimæ hujuſce editionis curam non gravatè ſuſcipiente nobiliſſimo viro, Io. Alberto VVidmanſtadio, I.C. Senatore regio, & provinciarum orientalium Auſtriæ cancellario, &c. occaſionem ei ad tam ſanctam operam præbente Ignatio, Patriarcha Antiocheno; qui ex Meſopotamia Moſen Meridinæum, Sacerdotem in

Rhætia Ripenſi, miſerat in Germaniam, ut prædicti Teſtamenti volumen, Syre tranſſcriptum, per prelum excuſorium multiplicatum, in Syriam reportaret. Voluit nimirum auguſtæ memoriæ Princeps, & de conſervando ac propagando Chriſtianiſmo adprimè ſollicitus, Aſiaticis Chriſtianis; qui vetere Syrorum lingua partim vulgo, partim in Sacris tantum utuntur, & ob Evangelicorum librorum indigentiam, præter Baptiſmum, vix ulla religionis veſtigia habebant, iſthoc immortale beneficium, pro ſua pietate & liberalitate conferre. Quod optimum, & principibus viris omnibus imitandum propoſitum Widmanſtadij imitatus inſignis Dei ſervus Tremellius, textum Syrum hujus Teſtamenti non tam è Cæſareo illo Viennenſi codice, quam ex longe antiquiſſimo & optimo manuſcripto alio; quem ſereniſſimi & pijſſimi Principis, FRIDERICI III. Electoris Pal. bibliotheca ei ſuppeditaverat, Hebræorum literis punctiſque, multo certé & tædioſo labore, deſcripſit, Latiné vertit, & inſtitutis grammaticis auxit atque illuſtravit: cumprimis cupiens illis prodeſſe, qui Hebraicé utcumque periti, Syram fortaſſe lectionem ignorarent.

Sed pergo. Percepta Syra hac, ipſa DOMINI noſtri IESV CHRISTI lingua materna, una cum ante-dicta Hebræa atque Chaldæa: non video, quid ingenioſam & ſolertem juventutem avertere poſſit, quo minus in ARABICA etiam periculum "aliquod facere tentet. Cujus linguæ quantus ſeſe uti-"litatis campus offerat tum illuſtrandę Hebręæ & cæ-"teris orientalibus: tum intelligendis infinitis; iiſque "eximijs in omni genere ſcientiarum voluminibus, ab "Arabibus, ſeptingentis annis integris, quibus ſtudia

"apud

“apud eos, per univerſam fere Africam & Aſiam, & Eu-“ropæ quoque regnum Hiſpaniam floruerunt, conſcri-“ptis: tum reſtituendis nobis veterum Græcorum & “Latinorum libris quam plurimis; qui apud Arabes in-“tegri extant, apud nos vero aut perierũt, aut corrupti “vel depravati reperiuntur: tum intelligendis etiam & “confutandis peſtilentibus Machomedis Mechani dog-“matis; quibus potiſſimam Orbis partem miſere ſedu-“ctam & implicatam videmus: tum denique peregri-“nationibus conficiendis, & converſationi colendæ “cum populis pleriſque Africanis & Aſiaticis; apud “quos vel in uſu vulgari eſt ea lingua, quales ſunt Mau-“ri, Numidę, Aegyptii, Arabes, Palęſtini, Syri, alii: vel “eum ſaltem obtinet uſum, quem apud nos obtinet La-“tina, tum privatim apud doctos, tum publice in eccle-“ſia & foro, quales Turcæ ſunt, Perſę, Tartari, Indi, alii: de hoc, inquam, latiſſimo & amœniſſimo utilitatis campo ex eadem Erpenii Grammatica Arabica certiores vos fieri malim equidem, quam me vobis longum commemorare: ſed tamen magis optem, in ea lingua, ſaltem aliquo-uſque, ſi non detur ultra, progredi vos poſſe.

Neque vero hîc mihi a vobis objici velim, rem eſſe nimis diffuſam ac patentem, adeoque plane *ἀδύνατον*, diſcere tot linguas, hasque diſcendo tot auctores volvere. Credite mihi, neque diffuſa nimis aut patens res eſt, neque *ἀδύνατος* ei; quem dia benignitas mediocri ſaltem ingenio beavit, ut de excellenti nihil dicam: ſed quod ingenium recte formetur & excitetur felici inſtitutione, & acuatur propria ſubinde diligentia: *hæc* quandoquidem *tum in omnibus rebus, tum in ſtudio literarum plurimum valet*, ut veriſſime monet Tullius:

ἐξ, Ἁλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ ϗ πόνῳ ἅπαντα, πάντα τὰ ζητούμενα, *Comprehendi poſſunt induſtriâ & labore omnia; quæ inquiruntur*, ut Eurypides. Quale illud apud Laërtium Cleobuli, Μελέτη τὸ πᾶν, *Diligentia perficit omnia:* & illud, Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται, *Diligentiæ obediunt omnia.* Cui ſimillime dixit Seneca, ille ſapientię ocellus, *Nihil eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, inque familiaritatem perducat aſsidua meditatio, &c. Etiam quæ primo dura viſa ſunt, uſu molliuntur*, ait Quintilianus. Nec ignoratis illud protritum, *Labor omnia vincit improbus.* Multo minus exempla vobis abſunt eorum; qui ad iſtud faſtigium nobiliorum linguarum, vel ipſo hoc ſeculo æterna cum ſua laude aſcenderunt: ut ſuperioris ſeculi viros ſummos taceã, Pagninum, Reuchlinum, Munſterum, Pellicanum, Bibliandrum, Mercerum, Tremellium, Iunium, Bertramum, Cevallerium utrunque, Stuckium, Caninium, Montanum, Maſium, Guidonem Fabricium, & alios, Libycæ arenæ inſtar numero carentes. Quibus cum maxime accenſeo duo illa Reipublicæ litterariæ lumina & columina longe maxima & clariſſima, Ioſephum Scaligerum Cæſ. F. & Iſaacum Caſaubonum. Sed ô! quæ profuſiſſimæ lacrymæ tam illuſtria litterarum ſideratam uberem ſapientiæ affluentiam, in virorum iſtorum nobili pare, morte extinctam ſatis digne unquam deflere poſſint? Accenſeo etiam Druſium, Liveleum, Chriſtmannum, Buxdorffium; cujus in ipſo hoc opere opera me juvit, Brugthonum, eundum Erpenium, & alios: qui iſto in genere ſtudiorum clariſſima luce ſua fulgent. E contrario apud quos obtinet infelix ignavia: ij ne vel unam vernaculam, nedum plures & peregrinas linguas commode atque expedite

pedite loqui aut intelligere valent: quod teterrimum vitium cane pejus & angue vos odiſſe & deteſtari debere, illa Veterum vox apud eundem Euripidem, digniſſima quam mente alta recondatis, vos docet, Οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥάθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ, *Nullus enim ſocors celebris vir eſt:* & hæc, ei ſimillima, πολλὰ δεῖ μοχθεῖν τὸν ἥξοντ' εἰς ἔπαινον εὐκλεῶς: *Impenſe illum laborare oportet; qui laudem glorioſam conſequuturus eſt:* & iſta μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν, *Laborare oportet eos; qui ſecundo rerum ſucceſſu uti volunt.* Quod univerſe de tota vitæ noſtræ periodo, ſpeciatim hoc de argumento intelligi liquet. Iſtas vero commemoratas linguas, quæ eminent inter illas; quibus præditum decet eſſe Theologiæ adyta ingreſſurum (Aethiopicam enim & Armenicam; quæ & ipſę matris Hebrçæ ſunt traduces, verum uſu ampliore hic carent, nunc non moror:) ſi quiſpiam veſtrum vel omnes, vel aliquas, & Hebræam cumprimis, ξὺν τῇ τοῦ θεοῦ παλάμῃ, notas ſibi fecerit: inenarrabile eſt, quanto cum emolumento & ornamento ad artes & ſcientias, ſed tamen Theologiam maxime, accedere vobis liceat.

Hujuſcemodi igitur, & ſimiles hic multas cauſſas optimę notæ, tanquam λευκοὺς ἐλέγχους, impellere vos pervelim, cur ſtudio huic raro & pręclaro operam ſtrenue detis. Verum enimvero inter cauſſas illas hęc etiam venit cenſenda, quod pręter ſupra nominatos ſolidæ doctrinę viros, qui ſtudium linguarum, pręſertim orientalium, neutiquam neglectui habuerunt, ſed tanquam fulcrum & baſin; in qua cum omnium ſcriptorum libri, tum vero atque inprimis ſacra Biblia & hiſtoriæ nitantur, pretioſe æſtimarunt, reputantes illud Platonis in Gorgia ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγ-

πϱάγματα, *Cognitionem nominum ſequitur rerum ipſarum cognitio:* & hoc ſapientis Epicteti; Ἀϱχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *Diſciplinarum principium eſt conſideratio nominum:* item iſtud Galeni, ἡ τῶν ὀνομάτων χϱῆσις ταϱαχθεῖσα καὶ τὴν τῶν πϱαγμάτων ἐπιταϱάττει γνῶσιν, *Conturbatus nominum uſus & rerum ipſarum cognitionem conturbat, &c.* cujuſmodi cognitionem nominum, demum linguarum exacta peritia ſuppeditare ſolet & poteſt: Vos pręterea domeſtica habetis exempla illorum; quos propitia Dei providentia ſatores veſtros eſſe voluit, abavum nimirum veſtrum, ZVINGLIVM; qui Reformationis apud nos opus; quo nullum neque majus, neque nobilius inceptum, a multis ſeculis fuit inchoatum, non ſine numine ſuſcepit & peregit: proavum GVALTERVM; qui voce, ſcriptis, vita fideliter & feliciter Eccleſiam erudiit, eam adeptus laudem; quam Origeni Adamantio tribuit Vetuſtas, Οἷον γὰϱ τὸν λόγον, τοιόνδε φασὶ τὸν τϱόπον: καὶ οἷον τὸν τϱόπον τοιόνδε καὶ τὸν λόγον ἐπεδείκνυτο: avum SIMLERVM; cujus laudes vel ex nobili & probato Hiſtorico Thuano petere vobis liceat: avunculum denique, SIMLERVM filium, non pridem magno ſcholæ noſtrę damno, proh dolor! Fato functum. Hos vero ad tam ſublime culmen ingentis glorię & optimæ famæ evehi ſine exquiſita linguarum cognitione; quas cum artibus atque ſcientiis; quibus erant inſtructiſſimi, conjungerent, potuiſſe, non eſt ut exiſtimetis. Imo fuerunt hęc inſtrumenta & pręſidia prima; quibus, pręlucente ſpiritus ſancti gratia, eloquia divina recte interpretati ſunt, aliiſque fideliter tradiderunt. Quod igitur non pauci hodieque ſtudium iſtud iniquis ponderibus æſtimant, ſuſque deque habent, & vel in graviſſimam criminationem involvunt,

Digitized by Google

vunt, quaſi iis, qui ad artes & ſcientias aſcendere nituntur, in eo nec feratur, nec metatur: id quidem veris lacrymis deflendum eſt, & hanc iniquam opinionem cucurbitis perſuadere fortaſſis queant: vos vero in eadem cauſſa ut ne ſitis, operam date, & ingenti ego cupiditate opto? neq; etiam futurum confido, ſi de rationibus allatis, nunc & aliquando, efflorescente ætate, apud vos diligenter cogitetis: dico de allatis; enim vero deficiat me dies, & ego prçceptoribus veſtris fideliſſimis, à quibus illa ſexcenties auditis, vim faciam, ſi omnes rationes explicare hoc loco aggrediar cur Latine & Grçce doctos, ad Syram iſtam & alias orientales linguas, ſed vero etiam, ope Latinæ, ad Gallicam primum, inde ad Italicam, non contra, & tandem, ſi fieri poſſit, ad Hiſpanicam; quæ a Latina omnes ſunt ortæ, vel experientia magiſtra per αὐτοψίαν gentium, urbium, academiarum, vel mutis præceptoribus præeuntibus, incumbere vos velim.

Habetis inſcriptionis hujuſce cauſſas. Supereſt, ut eæ apud animos veſtros momenti ſint longe maximi: quo deſiderio præclariſſimarum linguarum cordibus veſtris alte impreſſo, & tandem ſive harum, ſive illarum ſpecimine expreſſo, ad ſublimiores diſciplinas Eccleſię & Reipubl. neceſſarias (In linguis enim vos hærere aut ſubſiſtere, me omnino nolle indubitatum eſt) vos conferatis & applicetis. Accipite igitur, filij dilecti, opuſculum hoc meum, alacri fronte: ut ſingularis & præcipui mei in vos amoris; quem Natura in ſuos cuique liberos ingenerat, apud prçſens & ventura ſecula extet monumentum: vobis vero ad omnes virtutes, quæ ſunt ἀναφαίρετα ὅπλα, *armatura haut detrahi potis*, ſit ſtimulus & calcar. Interim vos ignorare nolim, & id

GRAMMATICAE SYRAE

Liber Primus, DE *ETYMOLOGIA.*

CAPVT. I.

De Litteris.

GRAMMATICÆ Syræ, ſicut Hebrȩæ, Chaldȩæ, & aliarum, τῆς ἐυμεθοδευσίας cauſſa, duæ partes principes poſſunt conſtitui, nempe

ETYMOLOGIA & SYNTAXIS.

Ad Etymologiam pertinent primum *Elementa*, *Litteræ* nimirum & *Puncta*: tum *Partes orationis.*

Litteræ ſunt XXII pariter, ut apud Hebræos, ac Chaldæos; & duplici inſigniuntur figura:

Digitized by Google

Prior, & expeditior, atque uſitatior eſt talis.

1	A.	א	Olaph.	ܐܠܦ	ܐ ܐ
2	B.	ב	Beth.	ܒܝܬ	ܒ ܒ ܒ ܒ
3	G.	ג	Gomal.	ܓܡܠ	ܓ ܓ
4	D.	ד	Dolath.	ܕܠܬ	ܕ ܕ
5	H.	ה	He.	ܗܐ	ܗ ܗ
6	V.	ו	Vau.	ܘܐܘ	ܘ ܘ
7	Z.	ז	Zaï.	ܙܝ	ܙ ܙ
8	Hh.	ח	Hheth.	ܚܝܬ	ܚ ܚ ܚ ܚ
9	T.	ט	Teth.	ܛܝܬ	ܛ ܛ ܛ ܛ ܛ
10	I.	י	Iud.	ܝܘܕ	ܝ ܝ ܝ ܝ
11	K.	כ	Coph.	ܟܘܦ	ܟ ܟ ܟ
12	L.	ל	Lomad.	ܠܡܕ	ܠ ܠ ܠ
13	M.	מ	Mim.	ܡܝܡ	ܡ ܡ ܡ ܡ
14	N.	נ	Nun.	ܢܘܢ	ܢ ܢ ܢ ܢ
15	S.	ס	Semchat.	ܣܡܟܬ	ܣ ܣ ܣ ܠ

16 A.	ע Ae.	ܥܐ	ܥ ܥ ܥ
17 P.	פ Pe.	ܦܐ	ܦ ܦ ܦ
18 Z.	צ Zode.	ܨܕܐ	ܨ
19 Q.	ק Quoph.	ܩܘܦ	ܩ ܩ ܩ
20 R.	ר Riſch.	ܪܝܫ	ܪ ܪ
21 Sch.	ש Schin.	ܫܝܢ	ܫ ܫ
22 T.	ת Tau.	ܬܘ ܀	ܬ ܬ

Poſterior, & difficilior, atque minus uſitata, eſt hujuſmodi:

ܕ Dolath	ܓ Gomal	ܒ Beth	ܐ Olaph
ܚ Cheth	ܙ Zaï	ܘ Vau	ܗ He
ܠ Lomad	ܟ Coph	ܝ Iud	ܛ Teth
ܥ Ae	ܣ Semchat	ܢ Nun	ܡ Mim
ܪ Riſch	ܩ Koph	ܨ Zode	ܦ Pe
		ܬ ܀ Tau	ܫ Schin

NOTA.

I. *Quoad figuram.*

1. Figurantur litteræ Syræ non à dextra ad ſiniſtram ducta manu, ſicut pinguntur Hebręæ ac Caldęæ: ſed ita, ut manus, cum calamo ex adverſo poſita, reducatur ſenſim ad ſe per tranſverſo ſitu collocatam chartam. Quo modo & commodius figurantur, & pulchrius.

2. Quædam aliter figurantur initio & medio vocum, ſic ܟ ܡ ܢ ܥ; incurvæ videlicet & ęquilineę: aliter in fine, & quando ſolæ ſcribi, ſeipſaſque tantum ſignificare debent, ſic nempe ܟ ܡ ܢ ܥ *Coph, Mim, Nun, Ae.* Quo referuntur *Dolath*, *Riſch*, & *Tau:* quarum duæ priores initio & medio quandoque pinguntur ſic ܕ ܪ: quandoque ita ܕ ܪ, inverſæ videlicet & connexæ cum aliis: in fine vero ſemper hunc ultimum in modum. At Tau nunc ita apertum L, nunc fere clauſum Δ, trianguli in figuram, repręſentatur, prout nunc huic, nunc illi litteræ copulatur.

3. Aliter

3. Aliter figuratur *Olaph* cum *Lomad*, ſic nimirum per tranſverſum. ܐܠܗܐ: aliter cum aliis litteris. Idem judicium eſt de *Lomad* cum *Olaph*; quod ſic pingitur initio ܠܐ *non*: ſic in medio ܐܠܐ *lamentatus eſt*: ſic in fine ܨܒܐ *volvit*, *&c.*

II. Quoad pronuntiationem:

Hæc eadem, quæ litterarum Hebræarum ac Chaldæarum: nunc videlicet fortior ac durior, nunc lenior ac mollior: prout punctis certis, de quibus agetur, Cap. 3. hujus Grammaticæ, hæ vel illæ litteræ ſolent inſigniri. Peculiariter notetur V initiale pronunciari ut VV geminatum Germanorum; idque ex uſu linguæ Punicæ; qua prope univerſus Oriens nunc utitur: at in medio & fine ſonat V conſonam vel vocalem Latinorum. *Schin* peculiari puncto non notatur, quo à pronunciatione *Sin* Hebræorum diſcernatur. Hoc enim Syri carent.

CAPVT. II.

De Punctis notantibus ſonos vocales.

HVIVSMODI fuerunt *Litteræ* : ſequuntur *Puncta*. Hæc tria potiſſimum notant, nempe.

1. *Sonos vocales.*
2. *Aliquid de poteſtate Litteræ.*
3. *Diſtinctionem vocum ambiguarum.*

PVNCTA; quæ ſonos vocales notant, ideo *Puncta vocalia* dicta, poſſunt conſtitui *Propria*, aut *Impropria*.

Propria figuris inſigniuntur aut antiquioribus, aut recentioribus. Ea; quæ antiquioribus notantur, ad antiquas vocales Græcas prope accedunt, ac ſub Latinorum vocales ſic reducuntur:

.V	O	I	E	A
÷ ܐܘܿ	ܐܳ	ܐܺ	ܐܶ	ܐܰ

Ea deinde; quæ recentioribus pinguntur figuris, duabus conſtant punctionibus: ut

ut quatuor priora. Nam V, ultimum punctum non niſi una conſtat: quanquam ipſum etiam alii duûm eſſe velint, ſitu plane contrario atque O pingitur. Hęc itidem ſub Latinorum vocales poſſunt reduci, ſic:

bu bu bo bi be be ba
ܒܘܼ *vel.* ܒܽ ܒܳ ܒܺ ܒܶ *vel* ܒܷ ܒܰ

Porro ex his Punctis vocalibus:

A Græcorum ἄλφα inverſum & corruptum refert, juxta antiquiores, ſic ܒܰ, ſupra nimirum litteram: juxta recentiores vero duabus conſtat punctionibus, una ſupra, altera infra litteram, ſic ܒܱ. Vulgo & memoriæ cauſſa vocatur ܐܰܒܪܳܗܳܡ *Abraham*, cujus vocis eſt prima vocalis: ſed doctioribus ܦܬܳܚܳܐ *Petochò* à ܦܬܰܚ *aperire*, quaſi *Apertum*, juxta nomenclaturam Patach Hebræorum. Apertum enim & clarum ſonum edit.

E, Græcorum ἐ-ψιλόν refert ſpectans deorſum, juxta antiquiores ſic ܒܶ, infra nimirum

rum litteram: juxta recentiores vero duabus itidem conſtat pūctionibus, ſed utraque infra litteram, ſic ܒܶ vel ܒܷ. Vulgo vocatur ܐܣܒܝܐ *Eſchajo*, cujus eſt prima vocalis: ſed doctioribus ܪܒܨܐ *Rebozo*, quaſi *Egeſtum*, à ܪܒܨ *egerere*, &c. Vox enim in pulmonibus concepta, punctum hoc pronunciando, egeritur jam, & quaſi profunditur, neq; coërcetur in imo gutture, ut *Petochò*. Valet autem E utrumque, cum breve, tum longum: & longum quidem cum primis, cujus etiam figuram refert.

I. Græcorum ἦτα tranſverſum deſignat, juxta antiquiores ſic ܒܺ, infra litteram: juxta recentiores vero pariter duabus punctionibus conſtat; quarum dextera altius exſtat, quam ſiniſtra, ſic ܒܺ. Vulgo vocatur ܐܫܚܩ *Iſchchòk*, cujus eſt prima vocalis: ſed doctioribus ܚܒܨܐ *Chabozò*, quaſi *Compreſſum* à ܚܒܨ *comprimere*. Vox enim illud

Digitized by Google

illud pronunciando jam eo uſque à gutture diſceſſit, ut ad dentes pertingat, qui prope cumprimi debent, quo ipſa plene audiatur. Valet autem chirek utrumque Hebræorum, hoc eſt, I magnum ſeu circumflexum, & parvum.

O, Græcorum ὀ-μικρὸν repræſentat juxta antiquiores, ſed forma oblongiuſcula inſtar ovi cum lineola deorſum, verſus ſiniſtram vergente, ſic ܒܳ: juxta recentiores vero duabus conſtat ſupra litteram punctionibus, ſic ܒܵ. Vulgo ܐܘܕܡ *Odom* dicitur, cujus eſt prima vocalis: ſed doctioribus ܙܩܳܦܳܐ *Zekophò*, tanquam *Erectum*, ſeu *Elevatum*, à ܙܩܰܦ *erigere* ſeu *elevare*. Vox enim illud pronunciando à pulmonibus extra dentes progreſſa jam labra attollere incipit. Valet autem O obſcurum, ut Hebræorum ac Chaldæorum Kametz, tanquam ſonum a & o inter ſe conjunctum: ut partim ex aliis vocibus Syris novi Teſtamenti, quæ in Græcam linguam degenerarunt, colligitur, partim ex illis

1. Cor. 16. 22. ܡܪܢ ܐܬܐ, quæ Hebraïce ſonant אתא מרן *Dominus noſter venit.* Idem docet vox trita ܐܒܐ אבא *pater*, Mar. 14. 36. Hęc igitur genuina hujus puncti vocalis poteſtas eſt: non illa; qua Hebræorum cholem valet, & Græcorum ὀ-μικρὸν: tametſi hujus figuram repręſentet. Cholem autem Hebræorum hîc in ſchureck vel diphthongum *au* commutatur, ut in progreſſu cognoſcetur.

V Græcorum ὐ-ψιλὸν inverſum quondam repræſentabat, una cum ο-μικρῷ ſubpoſito, in hunc modum, ܘ. Harum enim duarum vocalium conjunctarum efficit ſonum, qualis auditur in voce τοῦτου. Sed nunc faciliori ductu formatum ſimile fere eſt Hebræorum Kametz oblique poſito, cum adpicto in latere ſiniſtro interdum ὀ-μικρῷ, interdum ſolo pucto, ſic ܘ, vel ܘ. Vulgo vocatur ܐܘܪܝܘ *Vrio*, cujus prima vocalis eſt: ſed doctioribus ܥܨܝܨܐ *Azozò*; quaſi *Cohibitum*, & *preſſum.* Vox enim ultimis labris cohibita & preſſa eum

ſonum

ſonum repræſentat, qui eſt hujus vocalis. Valet autem utrumque V Hebræorum, Schurek & Kibbutz, ac notas ſuas priores jam amiſit. Vnde ultima duntaxat reperitur, & nonniſi ſupra litteram Vau: quam præter, ſi ei etiam punctio ſubſcribatur, tunc longa conſtituitur vocalis, ut in voce ܩܘܡ *ſurge*, &c. At ſi vertici ejuſdem Vau incumbit punctio, tunc conſtituitur vocalis brevis, ut in voce ܥܘܠ *introï*, &c.

NOTA.

1. Syri initio punctis vocalibus caruerunt: quum ſatis per ſe conſtaret, quo quæque ſyllaba puncto eſſet efferenda. Adhibuerunt poſtea punctum unicum: quod ſi ſupra litteras ponerent, ſignificabant A, O, vel V. ſi infra, E, vel I. Tandem emerſerunt figuræ; quas jam habemus: & una cũ his prodiit aliorum etiam punctorum turba, aliis multis officiis adhibitorum. Sed hæc quum nonniſi in libris accuratiſſime ſcriptis occurrant: &

Digitized by Google

cognitu neceſſaria adeo non ſint; & nec ab ipſis Syris recte hodie intelligantur: nos ea hoc loco pręterimus.

2. Carent Syri differentia etiam vocalium longarum ac brevium, quoad figuras, hac ratione Hebræis inferiores; qui vel ipſis figuris vocales expreſſe diſtinctas habent, utrum ſint longæ, utrum ſint breves. Vnde eas apud Syros difficile eſt diſcernere: & vel ex litteris aut aperte aut recte quieſcentibus, juxta doctrinam; quam ab Hebræis jam didiceris, petenda.

3. Syri punctorum vocalium E & I figuras antiquiores non niſi infra litteras quondam pingebant, ſic ܒ *be* & ܒ *bi*: figuras vero A, O, & V, non niſi ſupra, ſic ܒ *ba*, ܒ *bo*, ܒ *bu*: verum illas promiſcue nunc infra, nunc ſupra collocant, prout fert commodius ſcriptura.

4. Iidem figuras punctorum non ſemper illis litteris, ad quas pertinent, adſcribunt, ſed vel præcedentibus vel ſubſequentibus: ita ut lectori analogia Grammatica

matica ſemper ſit attendenda. Verbi gratia, Etſi in voce ܒ̈ܢܰܝܐ *filij*, punctum ܼ ponitur ſupra ܒ: id tamen ad ipſum non pertinet, verum ad ܢ ſequens: ut quidem analogia Grammatica manifeſto docet.

5. Solent Syrorum librarii figuras punctorum vocalium formare graciliores: cœtera puncta, quæ aliis funguntur muneribus, figuris inſigniunt pinguioribus, ut ſimilitudo earum confuſionem non pariat.

6. Ex his punctis vocalibus conflant Syri diphthongos; quarum maximus apud eos eſt uſus: ut ܐܰܘ *au*, ܐܰܝ *ai*, ܐܳܝ *oi*, ܘ *ou*. Exempla paſſim ſunt obvia: inter quæ iſta obſervare expedit ܐܰܘܠܶܕ *genuit*, ܐܰܝܟ *quomodo*, ܝܰܘ̈ܡܶܐ *dies*, ܚܙܰܘ *viderunt*, *&c.* Huc referunt vocem ܦܰܘܠܳܘܣ *Paulus*; in qua ultimam pronunciant ut Græcorum ȣ in voce τȣ́τȣ, & aliis.

Hujuſmodi fuerunt puncta vocalia propria.

Improprium punctum vocale eſt, quod cum reliquis punctis vocalibus non conjungitur; quia adminiſtrat, & nota ſeu figura caret. Intelligitur autem tunc litteram afficere, quando ea ab omni punctatione nuda in voce ponitur; quod vel ex analogia vocis eſt cognoſcendum. Hebræi ac Chaldæi hoc punctum appellant *Scheva*; de quo ſufficiat hæc paucis notaſſe:

1. Scheva fere ſub ſervilibus habetur: modo aliquo quinque vocalium punctorum inſigniantur litteræ ſequentes quævis, præter Olaph & Iud; quarum cauſſa Scheva ſub ſervilibus amittitur, & ejus loco ſubſtituitur ipſarum punctum vocale, ſic ܘܠܐܠܗܐ *& Deus*, ܠܡܪܝܐ, *&c.* Quod ſi ſequens littera eſt cum Scheva efferenda: tunc, ut ne cum duplici initio ſcheva vox pronuncietur, prius effertur per A clarum, ita ܕܒܪܡܐ, &c.

2. Loco

2. Loco Scheva compoſiti cum Patach vel Seghol, ſub gutturalibus; quarum minimam alioqui rationem habent Syri, ſæpe uſurpatur A, ut in ܐܰܠܳܗܳܐ & aliis: ſæpe E, ut in ܐܶܡܰܪ & aliis. E tamen ſub aliis etiam litteris, quam gutturalibus, loco ſcheva ſignatur, ut in ܒܶܪܝ *filius meus*, pro ܒܪܝ, & ܫܶܡܝ *nomen meum*, pro ܫܡܝ, &c. Aliquando ſcheva ſub Iud mutatur in I, ut in ܝܺܕܰܥ pro ܝܕܰܥ *cognovit, &c.*

Hujuſmodi eſt & *improprium* punctum vocale. Quod ſi cum Propria, tum Impropria recipiantur a litteris, jam ſyllabæ conſtituuntur ac voces, plane ut apud Hebræos & Chaldæos. Vbi notandum, quod V & I ſyllabas faciunt compoſitas: & A ſub gutturalibus in fine, quod *Patach furtivum* appellant Hebræi, Syri non agnoſcunt. Quando autem nomen ſervatoris Hebrẹis exprimunt litteris ישוע, id faciunt forma & appellatione Hebræa.

Con-

Contractio quomodo ſyllabæ accidat ex eliſione gutturalium, pronunciationis commodioris cauſſa, dicetur capite proxime ſequenti.

CAPVT III.

De Punctis notantibus aliquid de poteſtate litteræ.

PVNCTA, quæ aliquid de poteſtate litteræ notant, ſunt tria: ex quibus duo priora, propriè ſic dicta, diverſo etiam a cæteris colore diſtinguunt calligraphi, ut nullo errore agnoſcantur. Hęc ſunt:

1. *Kuſchoi.*
2. *Ruchoch.*
3. *Virgula occultans.*

1. KVSCHOI eſt punctum ſupra ſex litteras ܒ݁ ܓ݁ ܕ݁ ܟ݁ ܦ݁ ܬ݁, *begadcephat* vulgo dictas; quas partim roborat, ſeu intendit, hoc eſt, dutiuſcule proferendas docet, partim vero duplicat, ſeu geminat.

Vnde

Vnde Hebræorum dageſch leni & forti reſpondet, ideo Syris dictum ܩܘܫܝ quaſi *durum* ſeu *grave*, a ܩܫܐ *durum* ſeu *grave eſſe* ܝ. Valent igitur ܒ *b*, ܓ *g*, ܕ *d*, ܟ *k*, ܦ *p*, ܬ *t*. Item *bb*, *gg*, *dd*, *kk*, *pp*, *tt*. Vbi notandum, tam *Pe* interdi atque geminari, quam cæteras. Teſtatur enim Andreas Maſius, qui linguam Syram a vivo Magiſtro didicit, litteram *Pe* ex Syrorum ore tam duram prodire, ut *πι* Græcorum, quam duplicem, ſeu geminam. Quanquam alii hanc litteram puncto Kuſchoï inſigniri negant; ac proinde volunt ſemper aſpiratam eſſe ut *φι* Græcorum: qua mollitie & Hebræos ſuum *Pe* quondam pronuntiaſſe ſcribit Druſius in ſuo Alphabetho veteri Hebræo. Cur vero *Pe*, & aliæ litteræ commemoratæ geminentur, ratio multiplex eſt. Nam geminatio iſta ſervit partim cognoſcendæ conjugationi, atque ita rationi ſignificandi: partim indicandæ litteræ amiſſę: partim diſtinguendis polyſemis: vel etiam quia

E uſu

Digitized by Google

uſu quodam vocis alicujus littera ſic duplicatur: ut cum ex aliis vocibus apparet, tum ex trita voce ܙܰܕܺܝܩܳܐ *juſtus*. Vbi Dolath ſemper eſt geminatum.

II. Rvchoch eſt punctum infra ſex litteras ܒ ܓ ܕ ܟ ܦ ܬ *begadcephat*; quas docet aſpirandas eſſe, hoc eſt, proferendas ſono remiſſiori ſeu molliori. Vnde Hebræorum Raphe reſpondet, ideo Syris dictum ܪܽܘܟܳܟ quaſi *mollitudo*, a ܪܟܰܟ *molleſcere, mollire, &c.* Valent igitur ܒ β Græcorum, ܓ *gh*, ܕ *dh*, ܟ χ Græcorum, ܦ φ Græcorum, ܬ θ Grȩcorum, &c.

NOTA.

Puncta *Kuſchoï* & *Ruchoch* raro litteris apponuntur; quibus debent apponi: niſi ſi qua ambiguitas explicanda eſt. Quam rationem intelliget facile quivis, qui Hebræis imbutus eſt præceptis de *Dagéſch* & *Raphé*; quibus illa Syrorum reſpondent: item de ſex illis litteris aut duriter aut molliter efferendis. Etenim quum ſex illæ litteræ a nullius præmiſſæ vocalis afflan-

Digitized by Google

afflantur ſpiritu : tum exiliter exeunt. Quod fit, quoties ipſæ in alicujus ſyllabæ initio ſunt poſitæ, quam non anteceſſit proxime alia ſyllaba, quæ vocali terminabatur, ſic, ut quaſi uno ſpiritu a præmiſſa vocali ad inſequentem harum litterarum una accedat Lector. Sin autem ore, quod jam ante vocalis cujuſpiam ſpiritu plenum eſt, proferendæ ſunt: tum ipſæ aſpirantur, ſeu molliter efferuntur. Verbi gratia, in ܠܐ ܠܠܕܬ prius ܠ eſt aſpiratum a præcedente vocali vocis ܠܐ, qua terminabatur : poſterius vero ܠ aſpiratum eſt a pręcedente in eadem ſyllaba vocali, ſive quia ipſum eſt ſyllabæ littera ultima. Porro Dolath habet Kuſchoï in vertice, duriterque effertur; quia poſitum eſt in ſuę ſyllabæ initio, quam alia pręceſſit ſyllaba; quæ non vocali, ſed conſona terminabatur. Sic aſpiratum eſt ܒ, ſed a puncto vocali, quod litterę ܘ adſcriptum proxime ante ܒ audiebatur. Idem judicium de reliquis.

III. VIRGVLA occultans eſt punctum impropriè ſic dictum: conſtat enim non punctione, ſed lineola, litterę ſubjacente per tranſverſum: docetque, vocem in pronunciando occultandam eſſe, hoc eſt, efferendam ſuaviter aut exiliter, adeo ut vix audiri queat. Hoc ſono pronunciandum eſſe verbum ܐܶܬ݂ܕܟܰܪ *recordatus eſt*, docet virgula ſub ܕ; quæ ſub hac littera perpetuo habetur in libris emundatis. Idem fit in nomine inde orto ܥܽܘܗܕܳܢܳܐ *recordatio:* nec non in aliis quibuſvis: & etiam in pronominibus, prę ſertim primę perſonę ܐܢܐ *ego.* Quod proxime poſt participium, quicum fere præſentis verbum repræſentat, ob virgulam illam ſemper dimidiatum legitur, adeo ut nonniſi poſterior audiatur ſyllaba. Pronunciamus enim ܩܳܪܶܐ ܐܢܐ *legens ego*, non *Kore ana*, ſed *koreno*, contracte. Sic ܐܳܡܰܪ ܐܢܐ *dicens ego*, pronunciamus non *amar ana*, ſed *amarna*, contracte itidem. Hujuſmodi plura ſunt; in quibus

quibus tamen non omnibus, niſi in accuratiſſime ſcriptis libris virgula ſubſcribitur: ſed quam nihil ominus deprehendas; quia in ejuſmodi dictionibus Olaph nullum adſcriptum habet punctum vocale. Obtinuit hæc punctandi ratio non magna aliqua ratione, ſed tacita conſenſione gentis & uſu.

Aliquando virgula hæc vocem non occultandam monet: ſed notat ſecundam maſculinam imperativi Ethpahel, in utroque numero. Sic autem ſub media verbi collocata imperativum ab infinito diſtinguit, a quo alioqui parum differret. Verum hoc munere fungitur improprie. *Hujuſmodi fuerunt puncta notantia aliquid de ſono litteræ.*

CAPVT IV.

De Punctis diſtinguentibus voces ambiguas.

PVNCTA, quæ ad diſtinctionem vocum ambiguarum adhibentur, nunc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſupra, nunc infra litteram collocantur, & partim una, partim duabus punctionibus inſigniuntur.

Una adhibetur in ambiguis vel circa rationem ſignificandi, vel ea pronunciandi: vel circa adſignificata temporum ac perſonarum. Sic ܥܒܕܐ cum puncto ſupra ܒ̇ ſignificat *opus*: at cum puncto infra ܒ̣ ſignificat *ſervum*, &c. Sic ܗܘ, ܗܝ, ܐܝܕܐ, cum puncto ſupra litteram ſignificant *Ille, Illa, Ea*, vel *Quæ*, ac pronunciantur *Hau, Hoï, Aido*: at cum puncto infra litteram, ſic ܗܘ, ܗܝ, ܐܝܕܐ, ſignificat *Ipſe, Ipſa, Manus*, ac pronunciantur *Hu, Hi, Idho, &c.* Sic tertia perſona maſculina præteriti, & participium præſens, quæ alioquin nihil inter ſe differrent, puta, niſi adponantur puncta vocalia, a ſe diſcernuntur, ſi videlicet punctum ad latus ſiniſtrum ſuperum primæ radicalis participii præſentis collocetur, ita ܫܒܩ *relinquens*: quo puncto illa præteriti perſona caret ſic ܫܒܩ *reliquit vir, &c.* quo modo

fecer-

Digitized by Google

ſecernuntur tertia feminina, & ſecunda maſculina ſingulares a prima ſing. communi præteriti, ſi videlicet tertiæ fœmininæ, & ſecundæ maſculinæ punctum infra: primæ vero communi ſupra ponatur, ut ܫܒܩܬ *reliquit femina*: ܫܒܩܬ *reliquiſti vir*: & ܫܒܩܬ *reliqui ego, &c.* Vbi obſervetur, in tertiis femininis ſiniſtrũ etiam latus ultimæ characteriſticæ puncto inſigniri, ad majorem adhuc differentiam: quæ punctio earum inſigne eſt etiam in libris abſque punctis, hoc modo ܫܒܩܬ *reliquit femina, &c.* Verum in talibus punctum inferum quandoque omittitur, & ſuperum duntaxat poni ſolet. Cætera ex uſu potius & privata indagatione obſervare licet, quam multis præceptis.

Duæ deinde punctiones adhibentur ad diſtinguendos numeros nominum, pluralem nimirum a ſingulari; qui a plurali ſæpe nulla caſus ſive terminationis variatione, aut litterarum mutatione, quemadmodum apud Hebræos, eſt di-

verſus.

Digitized by Google

verſus. Ponuntur autem duæ illæ punctiones ſupra voces pari altitudine per tranſverſum, inſtar tzeri Hebrȩorum, hoc modo ܕ̈. Illuſtre exemplum habetur ad Rom. 3. 13. ܩܒܪ̈ܐ ܦܬܝܚ̈ܐ ܓܓܪ̈ܬܗܘܢ ܘܠܫܢ̈ܝܗܘܢ ܢܟܘܠܬܢ̈ܝܢ : קברא פתיחא גגרתהון ולשניהון נכולתנין : *ſepulchra patentia guttura eorum, & linguæ eorum doloſæ, &c.* Vbi ſingulare ܩܒܪܐ *ſepulchrum*, ad diſtantiam pluralis punctionibus illis binis caret. Idem judicium eſt de reliquis. Quod ſi in tali nomine fuerit Riſch, quod punctum ſuum in capite gerit perpetuo ad diſcrimen litteræ Dolath: tunc plerunque ejus punctum pro altera numeri pluralis nota ſeu puncto uſurpatur: ut vel ex eodem ܩܒܪ̈ܐ clare apparet. In verbis deinde duæ punctiones ſupra vocem, indicant tertiam perſonam pluralem femininam præteritorum, ut ܢܡ̈ ܟܠܗܝܢ ܘܕܡܟ̈ *dormitaverunt omnes, & dormiverunt,* Mat. 25. 5.

&

& alibi paſſim. Hujuſmodi fuerunt etiam puncta diſcernentia voces ambiguas. Vbi coronidis loco notandum, illud genus punctorum; quo Chaldæi in Eſra & Daniele, Hebræi vero per cæteros veteris Teſtamenti libros utuntur ad accentus deſignandos, in textu Syro deeſſe: ut vel ex toto novo Teſtamento Syro liquido conſtat.

CAPVT V.

De Nomine & ejus Accidentibus.

HACTENVS de Elementis: ſequuntur Partes orationis, videlicet.

1. NOMEN; ſub quo *Pronomen.*
2. VERBVM; ſub quo *Participium.*
3. PARTICVLA; ſub qua *reliquæ partes.*

In NOMINE; quod Syri, Hebræos & Chaldæos imitati, appellant ܫܡܳܐ, conſi-

 deranda

deranda veniunt qualitas, genera, numeri, figura, ſpecies, declinatio & formæ. Verum omiſſis qualitate, figura & numeris (quorum pluralis duobus ſupra poſitis punctis a ſingulari diſcernitur, & dualis pauca abſoluta continet, ſicut apud Chaldæos) de cæteris duntaxat paucis agemus, quantum propoſito noſtro congruere & ſufficere poſſe videtur.

I. GENERA ſunt duo: *Maſculinum* & *Femininum*. Vtrius autem quodque nomen ſit, etſi regulis facile non definias: hoc tamen univerſe conſtat:

Eſſe Feminina.

1. Propria mulierum, muliebrium officiorum, urbium, regionum, ventorum, membrorum in corpore animali geminorum: quæ poſtrema, quanquam more etiam maſculinorum quandoque variantur, tamen feminina ſunt.

2. Conjuncta cum verbis femininis; ſine quibus nomina raro uſurpari conſtat.

3. Deſi-

Digitized by Google

3. Deſinentia utroq; numero ſyllabæ ܬܐ, præſertim vero ſingulari; cujus generis perplura reperias. Excipiuntur, in quibus Tau ejuſmodi eſt radicale. Hæc enim ſunt maſculina: ut ܚܘܕܬܐ *novus* ܚܕܬ *a innovare*, ܒܗܬܬܐ *pudor a* ܒܗܬ *erubeſcere, &c.* Interdum Olaph finale ſimplex, abſque nimirum Tau, notat maſculina: verum in iis duntaxat, quæ moventur ab adjectivis maſculinis in genus femininum: cujuſmodi ſunt ܒܝܫܬܐ *mala a* ܒܝܫ *malus*, ܛܒܬܐ *bona a* ܛܒ *bonus*, ܫܦܝܪܬܐ *pulchra a* ܫܦܝܪ *pulcher*, ܐܚܪܢܝܬܐ *alia, ab* ܐܚܪܢ *alius*, & hujus generis infinita; in quibus nonnulla præter Olaph aſciſcunt Iud, ut ܙܥܘܪܬܐ *parva a* ܙܥܘܪ *parvus, &c.*

4. Deſinentia numero ſingulari in ܘܬܐ ut ܡܠܟܘܬܐ *regnum*, vel ܝܬ, ut ܐܚܪܢܝܬ *aliud, &c:* Cujuſmodi feminina quandoque per apocopam litteræ finalis Tau efferuntur, ut ܡܠܟܘ, ܒܝܬ *domus, &c.*

5. Formantia numerum pluralem ex

 Nun,

Digitized by Google

Nun, præcedente vocali O, quæ terminatio participiorum femininorum eſt propria.

Eſſe deinde Maſculina.

1. Propria virorum, virilium officiorum, fluviorum, menſium, &c.

2. Conjuncta cum verbis maſculinis.

3. Deſinentia terminatione diverſa à commemorata terminatione femininorum. Hæc enim ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ſunt maſculina, paucis exceptis; quæ genus conſtituunt femininum, quod ex uſu eſt obſervandum & cognoſcendum.

4. Formantia numerum plur. ex Nun & Iud, precedente vocali, tum O itidem, tum E.

Hujuſmodi fuerunt genera.

II. Species eſt; qua nomen aliud dicitur *primitivum*, habens nimirum in ſe radicem ſeu thema: aliud *derivativum*, aliunde habens ortum: cujus poſterioris ſpeciei nomina ſunt pleraque, ut apud Hebræos ac Chaldæos. Hæc à radice propagantur

Digitized by Google

gantur primo ſola ejus punctorum vocalium mutatione, ut ܡܰܠܟܳܐ *rex* à radice ܡܠܰܟ݂ *regnavit*, &c. Secundo litterarum quarundam ad radicem additione; quarum ſymbolum memoriale eſt vox ܐܡܘܢܬܝܢ in qua occurrunt eędem litteræ, quæ apud Hebræos in voce האמנתיו, excepto ה, cujus loco Syri uſurpant א. Aſſumunt autem eas locis uno, eoque vel ad caput, vel ad medium, vel ad finem, & pluribus ſimul. Tertio derivantur litterarum radicis detractione, & additione Aemunaticarum, unius vel plurium: ut in ܡܰܕܥܳܐ *cognitio*, Iud, prima radicis ܝܺܕܰܥ *cognovit*, detrahitur, & ejus loco additur Mim ex Aemunaticis. Sic in ܡܰܦܩܳܢܳܐ *eductor*, Nun prima radicis ܢܦܰܩ *exivit*, detrahitur, & additur ejus loco Mim itidem. Idem judicium de aliis, quæ vel ex cognitione præceptorum Grammaticæ noſtræ Hebręæ ac Chaldęæ nota eſſe poſſint.

Hujuſmodi fuit ſpecies.

